



B. N.
112.

Xm 475.

IO. BAPT. MORGAGNI

PHILOSOPHI, ET MEDICI FOROLIVIENSIS, IN
PATAVINO GYMNASIO THEOR. ORDIN.

MEDICINAE PROFESSORIS

NOVA

INSTITUTIONVM

MEDICARVM

IDEA

MEDICVM PERFECTISSIMVM ADVMBRANS



LIPSIAE

LITTERIS IO. FRIDER. LANGENHEMII.

A. C. CCCCCCLXXV.

DEUTSCHE MÖRGENLÄNDISCHE

ZEITUNG MIT MUSICALISCHER BEIGELEI

MUSICALISCHES JOURNAL DER DEUTSCHEN

UNIVERSITÄTEN, ACADEMIES, CONSULTA-

AUFGABEN

MÜNICHEN, TITANIA, HAMBURG,

MEDICALIA, MÜNICHEN,



HILDEBRAND

TITTLERS OF EBBIDGE, LARGEST PRINTING

AND PUBLISHING HOUSE IN LONDON.

VIRO
PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
AVGVSTO HENRICO
KLEMMIO
LVTZENSI MISNICO
IURIS VTRIVSQUE CULTORI DILIGENTISSIMO
S. D.
NOMINE COLLEGII DISPV TATORII ZEVNIANI
IO. GVIL. WILDENHAYN
MEDICINAE BACCAL.

um nunc discessum ex hac litterarum Uni-
uersitate pares, ubi per quadriennium
amplius omni cura ac diligentia cum omnino ar-
tibus liberalibus disciplinisque philosophicis, tum
iuris utriusque studiis operam nauasli: animi no-
stri cupiditas non minus, quam ratio officii nos
mouit, ut **TIBI, VIR PRAENOBILISSIME,**
illum discessum, qui rectissime fieri potest, vere
ac sincere gratularemur. Etenim per omne tem-
pus, a quo nostrae nomen dedisti Societati, praet-
er studium artium bonarum haut mediocre, in-
genii praestantiam eximiam, differendique sub-
tilitatem, etiam satis cognouimus, ipsique sumus
experti, in TE sitas esse illas vitae communis
virtutes, quae quidem in primis ad amorem re-

A 2 conci-

conciliandum conseruandumque valent, humanitatem, comitatem, facilitatem, obsequium, studiumque amicorum commodis, quantum fieri potest, seruandi promissimum. Igitur ut TE hinc decedentem votis faustis prosequamur, gratumque animum significemus, non tam leges Societatis nos cogunt, quam recordatio TVAE virtutis, qua amorem omnium dudum TIBI conciliasti, sequaces inuitat suauiter. Nam persuadeas TIBI velimus, AMICE PRAESTANTISSIME, nos vehementer esse gauisuros, si breui audierimus, TE eos honores, ea doctrinae virtutisque praemia, quibus dignissimus es, esse consecutum. Nec metuimus, ne nos haec spes fallat, quia TE talem esse scimus, qui non solum ob pietatis honestatisque studium velit, sed et ob doctrinae idoneae copiam et iuris peritiam possit foro, iudiciis, patriaeque prodesse plurimum. Nouimus utique, TE esse longe remotum, et abhorrere maxime ab ista rabularum leuitate et improbitate, qui, in causis agendis, et iure dicendo, omnibus religionis, iurisurandi, fidei, aequitatis, iustitiaeque officiis spretis, nihil nisi vel vanissimam quandam gloriolam ingenii pauperis, quo sere istud hominum genus dotatum esse constat, occupantur, vel, ventris gulaeque ratione habita, lucro turpissimo illiberalissime seruunt. Certo contra confidimus, fore, ut TV in foro, in iudiciis, caeterisque causis legum diui-

diuinarum humānarumque curam geras acerri-
mam, ut humanitatis, aequitatis et fidei officia
nunquam negligas. Deus igitur, a quo omnia
pendent nostra, conseruet TIBI vitam, valetu-
dinemque tueatur firmam, ut amicis, ut patriae
seruire possis quam diutissime.

Verum priusquam epistolae finem faciamus,
paucis ratio reddi debet, cur Morgagni, qui
nuper nonagenarius fere senex orbi litterario est
ereptus, *Orationem*, quam anno huius seculi un-
decimo apud Patauinos in munere Medicinae ad-
eundo habuit, ad quod a Senatu Venetorum a
Boloniensum Academia honestissimis conditioni-
bus vocatus erat, hic repetierimus. Cum enim,
praeter gratulandi officium, etiam pro more So-
cietatis deberemus aliquid addere, quod ad caput
aliquod doctrinae pertineret; nec, quibusdam
causis impediti, in promptu haberemus, quod gra-
tia nouitatis, utilitatisque laude splenderet, et
TVA dignum esset doctrina: decreuimus illam
magni Morgagni *Orationem* recudere, quae et
rara erat, et ob viri laudes, argumentique, quod
continet, praestantiam utilitatemque dignissima,
quae diligenter cognosceretur non modo ab omni-
bus Medicinae cultoribus, ut haberent, quod spe-
stant sequerenturque in Medicina recte et cum
fructu discenda faciendaque, sed etiam a caetera-
rum disciplinarum studiosis, ut et Medicinac
praestantiam, partes, munera et grauitatem qua-

si per transennam cognoscerent, et Morgagni ingenium bonis litteris et assidua veterum, Ciceronis, Quintilianii, Celsi, aliorumque lectione satis subactum et excultum admirarentur, atque consuetudinem imitarentur. Etenim Morgagnum, ut de caeteris hominis laudibus taceamus, veluti de cognitione scientiae Anatomicae, ubi facile principatum obtinet, in re grammatica et lectione veterum fuisse versatissimum, praeter epistolas, quas scripsit de Celsso et Ser. Sammonico, observationesque ad Vitruvium, Vegetium, scriptores rei rusticae, Frontinum aliosque, etiam patet ex hac ipsa Oratione, ubi Ciceronis Quintilianique artificium ita imitatum esse deprehendis, ut, quemadmodum illi sumnum et suis numeris absolutum Oratorem efformarunt, ita hic, illorum vestigiis pressis, perfectum Medicum, qui hoc nomine dignus esset, nobis delincauerit egregie. Quamquam autem haec Oratio aliquoties prodiit, primum Patauii 1712. in 4. et postea Lugd. Bat. 1740. in eadem foliorum forma, et denique Miscellaneis Morgagni opusculis inserta est: cum tamen priores Editiones nunc vix represiri possint, nec omnibus datum sit emere Opera Morgagni, parabiliorem illius editionem efficere hic conati sumus. Vale igitur, VIR DOCTISSIME, et nostram aequi bonique consule operam. Scr. Lips. Kal. Maiis, A. C.
cclxxv.

ILLV

ILLVSTRISSIMIS
ATQVE
EXCELLENTISSIMIS VIRIS
HIERON. VENERIO
EQVITI
AC AEDIS D. MARCI PROCVRATORI
MARINO GEORGIO
JOANNI FRANCISCO
MAVROCENO
EQVITI
SENATORIBVS AMPLISSIMIS ET TRIVMVIRIS
LITTERARIIS.
IOANNES BAPTISTA
MORGAGNVS.
S. P. D.



uod facere architecti neque inconsiderati,
neque indociles solent, antequam aedificia,
praesertim magna, et longi temporis, atque labo-
ris, exstruere incipient, ut eorum formam in publi-
co expositam, meliorem, dum adhuc licet, ex alio-
rum reddere judiciis conentur, idem ego et paucis
ante mensibus feci, et nunc quoque facio, *VIRI*

A 4

AM-

AMPLISSIMI. Cum enim institutiones quasdam
medicas olim animo concepissim, nouas illas quidem,
et, nisi fallor, formando illi perfecto medico, quem
omnes optamus, apprime utiles, sed easdem tantaे
operae, et tam diurnae, vix ut illis prescriben-
dis tota hominis vita sufficere posse videatur; ne ad
eas, inexplicatis aliorum sententiis, aggrederer,
quo primum die mihi licuit *AVGVSTISSIMI SE-
NATVS*, atque adeo V^enistro beneficio in hoc floren-
tissimo Gymnasio verba facere, in magna hominum
dolissimorum frequentia earum ideam, et quasi for-
mam proposui. Et quamquam per temporis, quo
scripsi, ac multo magis quo dixi, necessariam breui-
tatem, partim quoque per ipsam formae naturam
atque rationem neque omnia exponere, quae sentio,
neque ea ipsa quae exposui, ita exprimere potui
atque explicare, ut non sine aliquo timore esse, ne
alicubi in rebus, alicubi in rerum causis manus quo-
dammodo, et subobscurus, praesertim minus atten-
tis, viderer, saepius item aut vanus promissor re-
rum, nemini, nedum mibi, possibilium, aut eorum,
qui laudandi hic illic *Auctiores* fuerant, dissimilator
ingratus; ea tamen fuit vniuersae illius Concionis
cum in diligenter audiendo benignitas, tum in iudi-
cando aequitas, ut ea omnia necessaria esse breui-
tatis illius incommoda, non futuri Operis vitia,
existimauerit. Quinimo ex praefantissimis illis ho-
minibus, quorum ut doctirinae, sapientiaeque, ita
prudentiae, atque candori plurimum tribuo, non pau-
ci fuerunt, qui me non semel hortati sint, ut eandem
orationem typis mandarem, credo quo non huius
tantum Gymnasi, sed omnium eruditorum antequam
operi

operi admouerem manum, sententias perspicere. Quorum ego hominum consituis non modo deesse nolu, sed ut satis spati haberem, et ad cognoscenda aliorum iudicia, et ad formam hanc, quam proposui, iudiciorum eorum ope, meisque ulterioribus meditationibus, hoc addendo, istud demendo, illud immutando, perficiendam, constitui initium operis in quintum, vel sextum annum differre: quo interuallo (ne omnia inchoare videar, nihil absoluere) in **ADVERSARIA ANATOMICA ALTERA** subcisiui temporis partem impendam, ut eorum editio, de qua annis superioribus occupatus in medicina facienda, ne cogitare quidem potui, paullo ante primos Institutionum libros habeatur. Atque hae sunt, **VIRI AMPLISSIMI**, rationes omnes ejus temporis, quod mihi a munere assignato vacabit. Quas si caeteris, et inprimis si **VOBIS** probari intelligam, eas porro sequar, et constanter seruabo; sin minus, alias, quas magis **VOBIS** place-re sentiam, inibo. Nam, qui ab **SENATV AVGVSTISSIMO**, atque adeo a **VOBIS** in hanc sim nobilissimam sedem honestissimis conditionibus vocatus, homo sim omnium ingratissimus necesse est, si quicquam aliud dies nobis esque quam satis **VOBIS** et Republicae facere contendam. Quae etiam causa est, cur me a Vestris laudibus vel in hoc aptissimo contineam loco, quod eas nimirum **VOBIS** scio mereri quidem placere, audire autem non place-re. Itaque sermonem omitto, quo neque illufrior, neque uerior, neque optatior contingere mihi potest, de magnificencia, de confilio, de grauitate, de constantia, de fide, de innocentia, de magnitudine animi,

animi, deque ipsis caeteris summis atque incredibili-
bus virtutibus, quibus magno usui Republicae et
priuati, et in Magistratibus, domi, forisque et sae-
pe fuistis, et assidue estis, quasque ob virtutes Ve-
stra ista, ut maxima et sapientissima, sic eadem
iustissima caeterarum Respublica cum in VOS hono-
res amplissimos contulit, tum maiores conferre me-
ditatur. Tantum per eximiam Vestram in tuendis
augendisque litteris curam, atque prudentiam, ac
singularem istam, dignamque et VOBIS et Fami-
liis Vestrarum inclytis illis, ac vetustissimis benignitatem
illud VOS oro, ut, quo me vultu (quae Vestra fuit
humanitas) excepistis, eodem et meum hoc littera-
rium munusculum excipiatis. Valete. Patauii,
Postridie Kalendas Iunias ccccxxii.

NOVA



NOVA
INSTITUTIONVM
MEDICARVM
IDEA.



Si ad tradenda Medicinae praecepta, A.
A. Magistrorum valet auctoritas;
in celeberrimo hoc Gymnasio ab
nobilissimis viris traduntur: si usus; a peri-
tissimis: si ingenia; ab solertissimis: si facun-
dia; ab eloquentissimis: si studia denique; ab
diligentissimis, et cum omnia suis Auditoribus
officia, tum maximam sedulitatem praestanti-
bus. Quae sunt igitur meae partes? auto-
ritatis tantae, quantam vos pro vestra humani-
tate in me esse volueritis, usus mediocris, in-
genii vero, et, siulla est in me, facundiae mi-
nime voluntati parium. Nam auditoribus qui-
dem meis si minus reliquis facultatibus satisfa-
cere potuerim, at officiis certe, et sedulitate
me

me spero satis esse facturum. Quae hic et semper habitae fuerint, et nunc habeantur cum de scientiis caeteris, atque artibus, tum de re medica paelectiones, qua grauitate, qua facultate, qua copia, neque dico, neque, si maxime vellem, dicere tamen pro dignitate satis possem; hoc tantum dico, nihil me vnuquam legisse, nihil audiuisse quod mihi de Theorica Medicina subtilius dici videtur, nihil de Praetica peritus, nihil illustriore auctoritate de exemplis, nihil de controversiis grauius, nihil acutius, nihil de tota re medica ornatus. Quo mihi difficilius contingit impositum hic Medicinae tradendae munus; nam et post eos et inter eos tradenda est Praeceptores, ex quorum paelectionum recordatione plus utilitatis, et voluptatis, quam non modo ex meis, sed ex cuiusdam paelectionibus capere possitis. Sed mos est gerendus, non modo Amplissimis rei litterariae Triumuiris, quorum magnitudinem erga me meritorum nulla vnuquam delebit obliuio, sed etiam omni Augustissimo VENETORVM SENATVI, cuius ego honestissimo de me iudicio, benignissimoque consulto nullo modo adesse possum; deesse autem? immo vero etiam ea ratione respondere, vti omnes intelligent, me summis opibus eniti, et quam maxime possim, contendere, vt beneficia in me sua recte posita, et ratione collocata esse videantur. Et cogitanti quidem mihi, ac omnes animo ad nouum aliquod utilissimum opus atque pulcherrimum vias aditusque repetenti

petenti nihil denique visum est dignius nouo quodam genere Medicarum Institutionum, quod antequam planius quale sit, dico, necesse est, quemadmodum olim in eius venerim cogitationem, proponere. Quod quidem sic faciam, ut tria illius praecipua capita, itemque eorum utilitates, difficultates, auxilia, eadem opera edisceram. Id cum breuiter fecero, atque ita, quae de illis Institutionibus generatim sunt dicenda, exposuero, tum longiorem aliquanto, et tripartitam orationem ingressus, quae de ipsis sigillatim, sed per summa capita, tradi possunt, explicabo.

2) Cum in quavis facultate nemo possit perfectus existere, qui id ipsum non spectet et ad summa contendere non laboret, tum vero idem in Medicina contingere necesse est. Non hic pono liberum esse humano ingenio ad consummatam, et numeris omnibus absolutam mendendi artem peruenire; hoc enim alio in loco videndum est; sed, qui ad eandem se conseruent, iis ad summam esse tendendum, id posso. Cum enim vel ex hisce ipsis, qui in quavis arte primas appetunt, raros videamus ad secundas tertiasque prouectos, in hac certe, cui non minus difficultatis, quam utilitatis dignitatisque insitum esse confitemur, in imo subsistat necesse est, quisquis ad summa non enatur. Hac de causa illud primum visum est mihi, esse Medicum ad spem summam instituendum, talemque informandum, qualis adhuc fortasse fuerit nemo. Praeterea animaduerti,

qui



qui medicas Institutiones scripserunt, quos mihi quidem videre contigerit, eos ita omnes ordiri, quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam in arte medica manum imponerent, siue contemnentes tamquam parua, quae prius discimus studia, siue non ad suum pertinere officium opinati, quando diuisae professionum vices essent, seu, quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam circa res, etiam si necessarias, procul tamen ab ostentatione portitas, ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta. Mihi vero nihil arti Medicæ alienum existimanti, sine quo optimum Medicum non posse fieri fatendum est, nec ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initii, perueniri, visum quoque est oportere ad minora illa, sed, quae si negligas, non sit maioribus locus, descendere, nec aliter quam si Medicus tradetur educandus, studia eius ab infantia formare, et per omnes, quae modo aliquid Medico futuro conferant artes, ad eius operis summam perducere. Illud nouissime occurrebat, satis esse non putandum eximio in primis, quem instituendum posuimus, Medico aegrotantium letulis assidere, sed praeterea inferuendum posteritati quoque, ut illi relinquantur litterarum monumenta, quae et ad legendum sint iucundissima, et ad fructum uberrima. In quibus, atque in aliis pariter huiusmodi rebus cum nemo queat recte atque ordine fere gerere, qui ad easdem non sit institutus, haec quoque omnia medicis Institutionibus comprehendenda esse vide-

videbantur. Sic igitur colligebam, et perfectum Medicum et per cuncta ab infantia usque studia, et ad omnia, quae in ipsum cadere possunt officia, diligenter esse informandum.

3) Quae cum colligerem, non ego istas, quae sunt in usu Institutiones, abiiciebam (probbo enim; ne quis forte secus existimet; et valde utiles esse profiteor;) retinebam potius, retentisque omnia quae dixi, addebam, ut Medicus tandem institueretur ille perfectus, et quoniam cogitatione quidem et mente excellentior consingi possit. In quo non multum illud verebar, ne, si id quod vellem, efficere, eumque Medicum quem cupio, instituere valerem, retardarem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nollent, quod se assequi posse diffiderent. Nam par est, omnes omnia experiri, qui res magnas, et magnopere expetendas concupiscunt. Quod si quem aut natura sua, aut illa praestantis ingenii vis forte desiceret, dum teneret modo eum cursum, quem posset; non euaderet ille quidem in summum, multos tamen infra se videret. At summa assequi arduum est, et nemo est assolutus. Ante omnia, sufficit ad exhortationem studiorum, non capere id rerum naturam, ut, quicquid non est factum, ne fieri quidem possit; namque omnia, quae magna sunt atque admirabilia, tempus aliquod quo primum efficerentur, habuere, et quicquid est optimum, ante non fuerat. Accedebat, tot nos Praeceptoribus, tot adiumentis instructos esse, ut possit videri

videri nulla sorte nascendi aetas felicior, quam nostra, cui docendae cum tota antiquitas, tum vero in primis nouissima tempora elaboraverunt. Quibus nunc addere aequum est vestrum istud acre, et excellens ingenium, et egregiam istam ac praecclaram indolem, Adolescentes studiosissimi, quos propterea vnos ex omnibus ad bene medendum maxime natos aptosque reputo, ut vel ex vobis summus ille quem opto, Medicus, vel ex nemine fortasse omnium expectandus esse videatur.

4) Sed cum illud, ut dico, minus timerem, ne ab aliis magna nimium exigere iudicarer, illud contra verebar maxime, ne nimio plus de me polliceri, et iactare me intolerantius viderer, si forte susciperem tradere tantam rem, quantam non modo facultate consequi, sed etiam animo complecti longe esset difficillimum. A quo quidem consilio etsi ego tam aberam, quam qui maxime, ut qui de me meisque viribus, ut a principio dixi, semper ita fenterim, et adhuc sentiam; ex quo tamen die allatum est, me summa huius immortalis Reipublicae liberalitate in hoc omnium locupletissimum optimarum artium, atque scientiarum domicilium vocari, ex eo die mihi sum visus id posse eniti, non perficiendi quidem spe, sed adumbrandi voluntate. Quod ipsum profecto magnum erat onus, et perquam graue, atque adeo non hisce humeris suscipiendum, nisi illud occurrisset, nusquam tot Socios, nusquam tales consiliorum Adiutores, qui raptum onus magna

irebiv

magna ex parte verbis exemplisque alleuarent suis, quot, qualesque in doctissima hac, et oratissima ciuitate me esse reperturum. Cum enim Medicus sit mihi educandus eloquentia excultus, in dialecticis eruditus, in mathematicis et philosophia exercitatus, iuris diuini atque humani non inscius, rei anatomicae, rei que herbariae, omnisque materiae medicae scientissimus, vniuersae demum medendi rationis peritissimus, mihiique propterea cum Magistris earum artium, doctrinarumque nobilissimis multi sint sermones conferendi, multa sint ab illis postulanda, multa sumenda; vbi haec omnia commodius quam in hac Vrbe consequi possim, non video. Vbi enim terrarum eloquentia ornatus, dialectica acutius, mathesis neruosius, philosophia probabilius, diuina atque humana iura incorruptius; vbi corporis humani; vbi stirpium; vbi rerum naturae historia diligentius; vbi denique cautius, vbi praeclarius, vbi felicius omnis Medicinae ratio viaeque traduntur?

5) Quo magis confidentiae notam et offensionem effugere posse yideo, praesertim cum tot praeter tantosque Socios atque Adiutores, Duces Auctoresque summo iudicio et auctoritate naestus sim duos, quorum vestigia, non pressa leuiter, persequenti apparent, sed fixa atque alta sese ita ostendunt, ut aberrare non sinant. Quid? quod non certam modo, apertam, directam, sed munitam quoque viam hi duo reliquerunt, verba nempe, sententias,

B

prae-

praecepta instituti mei tam propria, tractandis
 que rebus tam apta, vt ego iisdem non solum
 verbis atque sententiis, sed perpetua interdum
 oratione, parce ad materiam hanc meam de-
 torta, non vti non possim: quod vel in hac ipsa
 praefatione non latere Vos, certo scio. Cuius
 a me facti non est exspectanda deprecatio (quam-
 quam quis hanc vltro confitenti negaret ve-
 niam!) sed gratia potius habenda est, quod
 non commiserim, vt vel minus idonea oratio-
 ne, vel compellationum inepta atque odiosa
 vterer, in quorum alterutro peccandum dico-
 quin erat, optimis videlicet occupatis. Nam
 vt institutum animo complexus sum meum,
 nullas paulo notiores aliarum quoque artium
 Institutiones omittenti, quin excuterem, et
 cum meis contenderem, breui post tempore
 vsu venit, vt M. T. Ciceronis, et M. F. Quin-
 tiliani libros oratorios in manus fumerem, et
 diligentius considerarem. Dici non potest,
 quantum ipse mihi sum gratulatus, quantumque
 id gauisus, quod in tantorum Praeceptorum ve-
 stigia incurrissem. Vterque enim (quod Vos
 minime ignoratis) Oratorem omni ex parte per-
 fectum instituit, alter vero etiam ad eius stu-
 dia prope ab incunabulis formanda atque regen-
 da sese demittrit. Itaque cum in binis instituti
 mei capitibus eos Auctores nactus essem, quo-
 rum grauissima auctoritate tueri illa possem,
 modo atque ordine luculentissimo exponere,
 oratione autem locupletissima etiam ornare; ter-
 tium, quod relinquebatur caput, de medico

ad

ad cuncta quae in ipsum cadere possunt officia, informando, hoc vero adiectum caeteris videbatur tum eorum gratia et suae utilitatis admitti posse, tum eadem ratione tractari, quam in tradendis illis prioribus didicissem. Quod quidem et coepi facere, et porro, quantum mea valebit infirmitas, sum facturus.

6) Exposui quod primum pollicitus sum, Auditores, quicquid generatim ad institutum pertinet meum; nunc sequitur, ut, quale sit, per singula rerum capita edisseram, sic quidem, ut, quae nostri alumni sint partes antequam Medico tradatur, postquam erit traditus, et ex quo eidem aegrotantes tradentur, oratione tripartita proponam. Quae si me intelligitis ut breuissime possum, planissimeque praestare, Vos quaeſo, benigne, ut facitis, et diligenter attendite.

Postquam principio demonstrauero, quae puer animi, quaeque corporis debeat bona praeferre, quo de puerō spem Medici capere quam optimam possint, hanc vero tantam spem et exspeculationem neminem posse, nisi virum bonum, explere; illud primum consequetur, ut puerum doceam frangendis cupiditatibus, et conformandis moribus operam dare, sine sibi proposito, cuius causa nihil non faciat, et quo omnem rationem referat, DEO. Strictim deinde attingenda erit, cum ipsis omnium communibus contritisque praeceptis, homine ingenuo liberaliterque educato dignis,

prima illa puerilis institutio, qua sic satis Graece, luculenter autem sciat Latine. Hic fere de Praeceptorum electione sermo erit aliquanto longior instituendus, deque eorum moribus atque officiis, vtque his mutuo discipulum deceat respondere. Ne illos pudeat fateri nescire quae nesciant; pudeat potius, quae vnos se existimant scire, ea non candide communicare. Perspicue doceant atque distincte. Ingeniorum discrimina intelligant, et vt cuiusque natura feret, in hoc frenis, in eo calcaribus ut scient. Discipulos, siue domi, siue in publico exerceant, iejuna concertatione verborum digladiari nunquam finant; neque eos eduent contentionis cupidiores, quam veritatis. Haec et alia huiusmodi, quae in Praeceptorum deletu spectari cupio, cum satis ostendero; tum, quae ipsos Praeceptores prima omnium praeferre discipulis malim, demonstrabo. Quorum haec fere summa est: Ut infantiae fallas opiniones et praejudicia ex animo euellant: vt, fallaciis sensuum detestis et erroribus maxime omnium communibus et peruagatis, contra hos in posterum muniant: vt nullius in verba, ne in sua quidem, iurare doceant: non vetustatem, non nouitatem, non consuetudinem admirari et sequi, sed vnam, ybi ubi fuerit, veritatem. Hanc illos facile non assequi, qui facile et e vestigio pronunciant, quippe potius argumenta numerant, quam expendunt. Attamen non esse homini turpe se deceptum fати; turpe esse, cum monitus fuerit, non fateri.

Sed

Sed eum multo quidem et saepius, et facilius
promissimi homines et praefidentes labantur,
quam dubitantes et haesitantes; esse tamen ubi
in hanc quoque partem peccetur, vel nimia
videlicet cunctatione, vel scientiae omnis et ve-
ritatis desperatione.

7) His cum praeceptis discipuli animus im-
butus fuerit; tum consulam, ut ea tradantur
axiomata, quae possint pluribus addiscendis
postea Facultatibus inseruire. Quorum non
pauca cum sint penitus in media *Mathesi* retru-
sa atque abdita; ad hanc ut primus gradus fiat,
hortabor. Cuius quidem elementa, arithme-
ticam deinde, et geometricam partem, mecha-
nicam quoque, et staticam, tum geographi-
cam, hydrostaticam, opticam, dioptricam, et
astronomicam p[re]e caeteris commendabo. His
autem sic erudiri puerum velim, ut, quae ad
ipsas attinent experimenta, quasque haberi in
ipsis obseruationes continget, illo semper co-
mite atque adiutore habeantur. Idemque in
Chymicis, idem in *Botanicis*, atque *Anatomicis*
etiam laudabo; quarum nempe elementa arti-
tium iam tum puerò tradenda censeo, eiusque
auidae et prope vacuae memoriae eam vim no-
minum innumerabilem, qua absterrerí solet
adulta aetas, mature ingerendam. Et illa qui-
dem puer ratione non obseruationes modo et
experimenta addiscet, sed quae praeterea in
hisce excogitandis solertia, in capiendis dexte-
ritas, in confirmandis sedulitas, in tradendis
fides requiratur. His tot instructus adiumentis

utilius multo atque facilius cognoscet, quae ab
 acutissimis hominibus in tota sunt *Philosophia*
 cogitata: quorum quae probabilia magis fuerint
 verique simillima, ea demum sub rerum histo-
 riis cumulatissimis, et ut fieri poterit, accur-
 atis ita proponantur, ut liberum sit probabiliora
 in dies, ut sit, occurrentia reponere, neque tam
 men philosophica illa commentatio idcirco in-
 uertatur et commutetur vniuersa. Neque in-
 terea admouere aurem negligat *diuinarum Le-*
gum et humanarum peritis: quos si palam audi-
re non audeat, quod eorum Facultatibus nostra
haec medendi vis, ne minima quidem societate,
coniuncta esse videatur; subauseultando tamen
mihi excipiat eorum voces, et procul quid
niant, attendat. Multos enim Medico incidere
casus, in quibus id iuuet non neglexisse, cum
ante a me indicatum est, tum alio loco demon-
*strabitur. Iam vero *Dialecticis*, et *Rhetoribus**
dare operam licebit: quas a me doctrinas ne-
que inconsulto, nec sine auctore grauissimo in
hoc tempus differri, tum planum fieri, cum quam
illas emendatas velim, quam serias, quam actuo-
tas, declarabo. Sed ut homines labore assiduo
et quotidiano assueti cum festorum dierum cau-
sa, aut voluntate sua ab opere interdum ferian-
tur, ad pilam se, aut ad discum, aut ad metu-
las conferunt, aut etiam nouum sibi ipsi ali-
quem excogitant in otio non inertem ludum;
sic noster cum ab seuerioribus illis studiis quasi
colligere sese volet atque reficere, subcisiua
et amictus cibis, in sompniis, insomnisque haec

haec tempora haud alia in re utilius posuerit,
quam in *Philologia et in critica Facultate.*

8) Locus hic erit nonnullorum querelis
et monitionibus occurrenti: me iam iamque
memoraturum, quam multa et magna et diffici-
lia sint medentibus necessaria, horum indu-
strialium in plura studia non bene distractisse; vel
si mea ratione ad alia ista persequenda satis spa-
tii relinquatur, me tamen nimis duras leges
primis aetatibus imposuisse; sic ut a me potius
absterritae a Medicina cognoscenda, quam ex-
citatae, voluntatem discendi simul cum spe per-
discendi abiectione esse videantur. Quibus ego
monitoribus sic respondebo: qui vulgari ista
et quotidiana facultate sit contentus, eum no-
stras institutiones nihil onerare, nihil distinere,
nihil morari, quin quantum ex ipsis videbitur,
sibi sumat, caetera eximio illi Medico et abso-
lutissimo, quem informamus, relinquat. Hu-
ius interesse maxime, qua mentis acie medicam
rationem sit aspecturus, eadem rerum omnium
vim naturamque praeuidisse. In his tamen ar-
tibus non doceri a me tantum temporis et la-
boris impendere, quantum ii, qui ipsarum tra-
cione delestanti nihil in vita sint aliud acturi;
sed ex iis tantum arripere, et cursim gustare,
quantum illi satis sit, qui ad alium usum sit
transflatus. Nec tempus illi nimis breve fu-
turum, qui parce ipsum, ut nos docebimus,
et sapienter dispensauerit, praesertim neque
tardi, neque segnis ingenii, qualem quidem in-
situimus, iuueni, neque uno utenti, sed pluri-

bus eodem tempore Praeceptoribus. Nam il-
lud quoque demonstrabimus, non confundi
animum, ac fatigari quibusque in diuersum ten-
dientibus disciplinis, sed sicut in cibis, horum
apta diuersitate reficimur, vnius assiduitatem
fastidimus, ita in uno eodemque studio inge-
nium languescere, plurium certa mutatione re-
creari.

9) Quae cum ita esse ostenderimus, nihil,
opinor, erit causae, cur non id quoque Medi-
co futuro praecipiamus, vt inter haec ipsa di-
uersa studia, iam nunc ea omnia ex ipsa Me-
dicina praediscat, quaecunque poterunt illis
cum studiis non difficulter copulari. Nam cum
illis, quos ante diximus, Philologis, Mathe-
maticis, Grammaticis operam dabit; quid pro-
hibet, aut ab his libros utriusque linguae ex-
plicari, qui sint de re medica praeclare et ele-
ganter conscripti, aut ab illis alteris in Opticis
atque Dioptricis, quae ad oculorum pertinent
morbos, paulo vberius exponi, aut denique
ab illis prioribus antiquorum pondera, atque
mensuras, balnea, artem gymnasticam potissi-
mum indagari? Haec ergo et huiusmodi alia,
quae nostro liceat quasi aliud agenti de rebus
Medicis praenduisse, a me diligenter indica-
buntur.

10) Post quae velut nouum erit sumendum
exordium, et (quae altera huius orationis pars
est) ad *Medici officia* transeundum; ac primum
quando tradendus Medico sit adolescens, di-
cendum; secundum hoc breuiter disquiretur
an-

an summo protinus optimoque sit tradendus?
 Monebimus, ne quis se allici patiatur magnificis eorum Doctorum pollicitationibus, qui intra sex menses (quod olim Thessalum illum Medicum, et huic propiorem memoriae Paracelsum fecisse, accepimus) medendi rationem se tradituros vniuersam, promittant. Porro, qui empiricam artem, non rationalem, profiteantur, hos quoque minime tironibus esse audiendos. Quinam deinde Scriptores, et quae singuli sint ratione praelegendi. Quis in unaquaque artis dictanda regula praeceptisque sit modus; neque enim quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas medendi studiosis esse ferendas, sed ex quibus pro variis causis, temporibus, aetatibus, et caeteris, quae sunt huiusmodi, conditionibus, aliqua mutare usus, studium, consilium, et, quod est caput, prudentia possit. Illud vero etiam atque etiam monebimus ut diligentissime Praeceptor videat, quo sua quemque natura maxime impellere videatur; operae namque pretium faciet, si ad cuiusque ingenium ita suam institutionem accommodet, ut de praesidenti audacique animo tantum detrahatur, quantum dissidenti et nimis timido adiiciatur.

11) Hic tandem ad Institutiones illas communes et perugatas aggrediemur. Quae quidem perquam breuiter a me perstringentur; non quo illa non probem, quae tot tantique medendi Artifices et Doctores reliquerunt; sed cum illa pateant, in promptuque sint omnibus



(extant enim innumerabiles de iisdem libri neque abditi neque obscuri;) neque ea tractatio-
ne mea aut copiosius explicari, aut planius ex-
primi possint: nemo a me exspectabit, ut opi-
nor, ut in re nota et perulgata multus velim
et ineptus audire. Si qua igitur in illis Insti-
tutionibus aut addenda, aut mutanda, aut vero
omittenda, praesertim de expertorum Magi-
strorum consilio, videbuntur, haec paulo vbe-
rius memorabimus, reliqua prebreuiter attin-
gemus. In quibus profecto erit Medicinae ety-
mon, et quid illa sit, aut quis eius finis, atque
utilitas, sitne ars, et ex quo genere, et quae sit
ei subiecta materies. Sed plura aliquando ver-
ba faciemus de illius origine, factisque progres-
sibus, deque spe futurorum, de primis Auto-
ribus, et de Sectis, et qui in unaquaque fami-
liam ducant.

12) Postea vero quam res illas, deque
theoreticis methodis nonnulla tradiderimus,
artemque omnem medicam in quinque diuisam
esse partes, cum ex his primam percurremus;
cum quaedam ad Anatomen, utilitatemque
ipsius spectantia non reticebimus. Hinc alte-
ram, quae de morbis est, partem dialectice tra-
dendam esse, negabimus; medice vero, et fir-
me, et perspicue, sic ut melius tertiae, quae
est de signis, inseruire possit, consulemus.
Quartae autem, quae Seruatrix est, parti cum
historiam medicam ventorum accurate scriptam,
cum de vita producenda libellum commode ad-
iungenda commemorabimus. Sed in nulla tam-
diu

diu quam in ea, quae Curatrix est, quinta parte immorabitur. In qua primum de medendi methodo verba faciemus, iis nempe capitibus, vnde omnia ad omnem curationem praesidia ducuntur. Tum de re herbaria, de pharmaceutica, de chymica: quo in loco non paucis hortabimur, et aliqua ex parte suscipiemus: ut tironibus praecepta cautionesque tradantur, quae in quibus dandis medicamentis sint attenuanda, quae prospicienda, quae vitanda; tum vero, quae quibus mixtis nouae, et inexspectatae vires orientur. Ut genere indicationum vniuerso noua quadam methodo in species ceras partito, ut nulla, quantum fieri licebit, neque omittatur, neque redundet, sua singulis speciebus remedia assignentur, et simplicia, et permixta, et promta, et conquisita, quamquam simplicia et promta magis, sed tamen permixta etiam et conquisita, omnia autem vsu probata, sic ut simul ac posita sit indicatio, habeant tirones, quo se referant, vnde statim experta possint medicamenta depromere. Ut neque de specificis, quae vocant, remediis, quae vtinam tot haberemus quot haberi dicuntur, neque de nouis et incognitis fileatur, sed viae rationesque tradantur, quibus vtrorumque natura et vires inuestigentur. Postremo ut de medicamentorum numero, deque ponderum ratione finienda, hoc est, de formulis remediorum scribendis fideliter ac dilucide praecipiatur.

13) Haec in tradendis Institutionibus consulemus. Erunt et quae in tradendis cuiusque morbi

morbi curationibus consulamus. Et primum
quem ordinem praestet seruare, et quam viam
tenere: an longiorem hanc, sed celebratam
magis et tritam; an breuiorem illam, et eom-
pendiariam, in qua plerisque morbis in certa
genera contractis, ut puta doloris, inflammatio-
nis, defluxionis et huiusmodi aliorum: tum
communia in genus unumquodque, non vero
in morbos singulos singula medendi genera
praecipiuntur. Deinde negabimus, ullius mor-
bi naturam, et causas sine respondentibus cada-
uerum dissectionibus, curationem vero sine
cautionibus, praecepsisque peculiaribus esse
proponendam. Praeterea dispiciemus, factu-
rine operae pretium sint, qui separatim trade-
re instituant de morbis, qui fluidas tantum affi-
ciunt partes, quique tantum solidas, et qui
vrasque; tum de acutis, et longis; tum de
penitus alicui parti insidentibus, et distantia ac
diuersa membra in consensum trahentibus; tum
de ingenitis, et in his hereditariis; de implici-
tis, et in his inter se pugnantibus; de se se in-
morbos alios vertentibus; de redeuntibus; de
vernisi, aestiuis, auctumnalibus, hibernis; de
senilibus tandem, virilibus, iuuenilibus; nam
pueriles quidem, itemque muliebres iamdiu
separatim tractari video; artificum autem mor-
bos, et cuique vitae generi peculiares ab reli-
quis neque ita pridem, et magna cum laude se-
iunctos esse, cum uspiam, tum vero hic potis-
simum non ignoratur. Nec dubium est, eos
quoque morbos, qui ab animi affectibus oriun-
tur,

tur, seorsum esse proponendos, omnes vero, qui ad Chirurgiam pertinent, longe est evidensissimum. Sed ut de his morbis omnibus tradendum erit, sic de rebus etiam duabus, quarum altera illos praecedere, altera subsequi non raro solet, minime erit reticendum, de paruis morborum initiis, horumque remediis, et de illis, qui tarde ex morbis convalescunt quam mature confirmandis.

14) Quoniam vero cuncta haec Medicinae praecepta sicut cognitu sunt necessaria, ita non satis ad vim medendi valent, nisi illis firma quedam facilitas, seu medicus habitus accesserit; hunc autem consequimur legendendo, audiendo, obseruando, colloquendo, cogitando, scribendo, imitando, et, quod vnum tandem plurimum potest, medendo; idcirco de his omnibus ex ordine praecipiems. Et primum qua in parte medicinae quis praeter caeteros seu vetustus, seu nouus Auctor excellat: quid in hisce ipsis cauendum: vt aequus animus, vt liber non minus ad lectionem, quam ad reliqua, que percurremus, sit afferendus. Hinc, quos audire, quos sectari conduceat. Quid, et qua ratione, et quo etiam in loco sit obseruandum. Urbes namque celeberrimas malim pharmaceuticis, chymicisque tabernis instruissimas, et in quibus publice a Medicis, non tantum pluribus, sed alia aliis in facienda medicina sequentibus, alia vitantibus, aegrotantium corpora manu, pharmacis, vietis ratione curentur, denatorum cadavera discindantur.

Neque

Neque his modo, et si magna et per multa sunt,
 esse tamen contentus poterit summus ille, quem
 formo, Medicus, nisi praeterea longe lateque
 peregrinetur, in castris versetur, et cum haec
 omnia legerit, audiuerit, obseruarit, doctis cum
 amicis et aequalibus conferat, atque ita se
 exerceat, ut quae sibi mox agenda sint ad aeg-
 rotorum lectulos, iam nunc exercitatione quasi
 ludicra praediscat et mediteretur. Cuius ita exer-
 citationis praecepta dabo, ut eam maxime com-
 probem, in qua ex Hippocraticis morborum
 popularium, aliisque huiusmodi accuratis histo-
 riis cuiusque aegrotantis casum, uno sociorum
 articulatim proponente, medicam caeteri, ut
 mos est, consultationem instituant; tum quae
 ipsi praeceperint atque praedixerint, cum Au-
 thoris tandem curatione, et aegrotationis illius
 exitu studiose contendant: quod cum in mor-
 bis plerisque omnibus, tum in his praecipue,
 quorum vi subita ante aeger consici, quam im-
 paratas Medicus meditari sat possit, etiam atque
 etiam commendabo. Dies praeterea nullus
 sit, cuius certa pars in acerrima atque attentissi-
 ma cogitatione non ponatur. Ea cogitatione
 pridie lecta, audita, obseruata, disputata ver-
 fare atque agitare, ex versatis autem atque agi-
 tatis dubia excipere, et memoranda oportebit,
 illa vterius excutienda, haec penitus memo-
 riae tradenda, utraque continuo in aduersaria
 coniicienda. Post haec de optimo medendi
 genere tantum dicere conabimur, quantum no-
 stro adolescenti satis sit ad unum aliquem tum

ex

ex iis qui fuerunt, tum ex his, qui sunt adhuc, Medicis, quem imitetur, eligendum. Quem tamen quoniam ita sibi proponere ad imitandum deber, ut longe illum multumque superare nitatur, idcirco protinus de cauta imitatione verba faciemus.

15) Quibus absolutis ac nonnullis hoc loco interiectis de assistentis Medici officiis, de medendi potestate, ac eius insignibus promerendis, et de prudentia, caeterisque virtutibus ad artis vsum necessariis, aliquando ad curandos aegros (quae postrema huius orationis pars erat) mittimus illum, quem instituimus, Medicum, sic tamen, ut certas quasdam admonitiones, quasi comites, adiungamus. Et illud primum videntur erit, quod sit incipiendi medicinam facere tempus; ad Medicum quidem quod attinet, num illud, quod aetas denique affert, an illud potius, quod ob studium, et diligentiam interdum quoque praecurrit aetatem; quod autem ad morbos pertinet, illud certe, quo morbi faciles, et tutissimi dominantur. Hinc quae in suscipiendis curationibus sint obseruanda, quae in exegitandis, quae in adhibendis. Non ea mihi conuellere adorietur, quae non possint remoueri, leuamen tantummodo hic promitter, et interitus prolationem. Non plures mihi aegrotantes suscipiet, quam quibus singulis summa cura possit consulere. Nihil in his paucis notabilitus dimittet, quod non suae meditationi subiiciat, nihil, quod in ephemeridem suam non referat. Nunquam aegrotantes atque

que domesticos' aptis cautisue praedictionibus,
Chirurgorum autem famulos, obstetrics, phar-
macopolas, caeterosque ministros, artis, et mu-
neris quemque sui eminenti praestantique pe-
ritia in officio non retinebit. Haec praeterea
admonebuntur, ne quid noceat; ut ab leuiori-
bus, quandocumque liceat, auxiliis ordiatur:
ut perraro ad remedia vehementia decurrat,
annis praesertim primis; sed quam poterit mi-
tioribus, atque paucioribus sit contentus: ne
statim plerumque mutet, si qua non statim pro-
fuere; contra aliquando aliud continuo atque
aliud experiatur: quonam quiescere praefitet
tempore, quonam mouere: quonam imitari aut
sequi naturam, quonam morari vel anteire:
quonam sit, aut non sit tritis Artis praeceptio-
nibus vtendum: quid agendum in nouis mor-
bis, quid in latentibus, et ad tempus incogni-
tis: quando denique, et qui sint in consilium
adhibendi, et quemadmodum consultationes et
coram et per litteras instituendae.

16) Haec cum fuero exsecutus, non hic
Medicum, quem fingo, deseram, sed per om-
nia, quae quidem cadere in ipsum possunt mu-
nera atque officia, deducam. Non de Medici
conducti, non de Archiatri, non de collegiis
adscripti, non de Professoris publici officio ac
partibus reticebo. Quanquam ita hoc loco in-
terpellari me posse intelligo, quasi haec omnia
vt complexurum me verbis spero, sic facultate
esse iam complexum existimarem. Ego vero,
cuius tantum ab omni arrogantia ingenium, vo-
lun-

luntasque abhorrent, quantum debent; debent autem maxime; et si ab nemine aequo et intelligent homine ita interpellari me posse scio propterea, quod et quo, et quibus fretus adiumentis intendam, satis est ante declaratum: tamen, si quis forte sic interpellet, is sibi hoc persuadeat velim, me non multo secus facturum, cum de Medico absolutissimo, cunctisque eius partibus disputabo, ac facerem, si esset mihi de Pictore dicendum: negarem enim, posse eum satisfacere in tabulis, nisi recte linea- menta describere, nisi, cui pigmento quod pigmentum deceat apponere, didicisset; neque ea cum dicerem, me esse pictorem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Similiter ea cum attigero, non quid ego, sed quid ille possit eximius, quem cupio, Medicus, si modo quis esset, aut si etiam unquam fuisset, aut vero si esse posset, haud scio an feliciter, certe diligenter adumbrabo.

17) Nunc ad vos, Auditores aequissimi doctissimique, et ad institutum reuertens meum; quoniam vsu Medicis non raro venit, ut non modo a priuato quoque homine, sed a Magistris vtriusque fori consulantur partim de superstitione, de miraculis, fascinatione, de mutilatis, de monstris, de notis virginitatis, de ieunii, et sacrarum precum ex formula recitandarum, vel audiendarum, et coniugalium tandem legum obseruandarum potestate; alias de aere, aquis, rebusque cibariis, de peste, de contagione, de legitimo partus tempore, de

C amen-



amentia, de iecibus, de vulneribus; de veneficiis, de morbis denique vel simulatis, vel redhibitioni locum facientibus, vel tormenta quaestionesque prohibentibus; quoniam, inquam, de his omnibus saepe Medici responsum quaeritur, Nostrum ego, ut scite illud dare et prudenter possit, certis quibusdam praceptiobibus informabo: quas si ignoret, alterutrum, quandocumque consultus fuerit, necesse erit, aut tempus habeat cognoscendis non solum rebus, quae in quaestione versentur, sed multis praeterea, et variis, et ab nostra penitus Facultate seiunctis, aut videatur sibi in nouum terrarum orbem esse delatus.

18) Sed haec omnia, quae nostro hactenus laudauimus Medico, ut multa sint, ut praecalaria, ut reipublicae conducibilia, finibus tamen angustis sane et exiguis continentur, si cum ea laude utilitateque conferantur quam scientia affert, digna et profutura tradendi litteris, ac memoriae cunctorum hominum sempiternae. Quamobrem non ante nostris Institutionibus finem faciemus, quam diligenter videamus, quae sint medico potissimum et quemadmodum scribenda. Illud autem primum ponemus: cum minime possit is, quem saepe diximus, Medicus perfectus et absolutus existere, nisi medicina, quantum valent hominum vires, ipsa perficiatur, illius maxime interesse, quaeunque egerit, nedum scripserit, huc tendere et spectare vniuersa, ut ea, quae Arti defunt, cumulatissime afferantur. Namque, ut propositum

situm non assequatur, falsa tamen deprehendendo, et vera detegendo, multa Arti, multa sibi et subsidia addet, et ornamenta comparabit. Sed cum illi primum remouenda sint omnia, quaecunque obstant et impediunt, haec a me diligenter indicabuntur, et in his vniuersalium, abstractarumque ab rebus meditationum velut praecox, et multo maior, quam vtile sit rebus publicis, consequatio, propter quam laudabilis ille mos et aphorismos, et historias, et observationes simplices ac nudas scribendi longo est interuallo praetermissus, tum imprudens illa ratio, res longe abstrusiores, aut etiam maiores inuestigandi, quam ut hominum possint sensu aut cogitatione comprehendendi, quarum vtinam notitiam aliquam habere possemus; sed domina natura est. Porro cum ex hisce rebus, quarum tractationes desideramus, non paucas ante indicauerimus, vbi de vulgatis Institutionibus, deque morborum curationibus locuti sumus, nonnullas hic addere satis erit, et primum rectam causarum, quibus morbi continentur, inquisitionem. Quae quoniam nulla aptius via, quam morbosorum et cadauerum sectionibus, et fluidorum observationibus indagantur, de his recte instituendis, feligendis, digerendis verba faciemus: quas cum ad caeteras, tum vero in primis ad dignoscendas infantium aegrotationes commendabimus, vt, quibus natura suos posse indicare morbos negavit, illos ars, quasi opportuna et amica in-



terpres, ne deficiat. Haec praeterea desiderabimus, ut Medicus quisque det operam, ne in ciuum suorum morbis, patriaque idoneo medendi genere hospes sit, et si qua valetudinum, si qua praesidiorum genera, cum rara sint, aut pene ignota caeteris gentibus, suae tamen regioni sint frequentissima, ea litteris prodat et memoriae posteritatis propaget. Ut in ea, quam institui posse diximus, de longis morbis tractatione, in quibus quidem curandis multo plus sane quid Medicus, quam quid valeat Fortuna, perspicitur, quo in morbo quae sit aptior aegrotantium regio, diligenter commoremur. Ut non minus de nouis remedii, quam de nouis morbis, deque his inclinati, vtque sic dicam, senescentibus, de non ita bene tractatis, de neglegitis atque omissis, de abditis, et cognitu difficultibus non difficulter cognoscendis, de illis demum, qui vulgo insanabiles existimantur, et eorum tamē, quandounque successerint, curationibus tradatur. Quibus atque aliis praeterea huiusmodi, quae in Institutionibus enumerabis, si diuersarum et pugnantium in Artis praeſertim actiua parte, sententiarum conciliatio accedat, interea posſit ferri tolerabilius cumulatae Artis perfectio-
nis desiderium.

19) Sed quicquid Medicus scribere insti-
tuet, mihi quidem et latina, et eleganti, et
pressa moderate, non redundant ac super-
fluente oratione conscribet; latina, vt pluribus
longe

longe lateque intelligatur; eleganti, ut vel fastidii, vel melioris alieno sub nomine paraphras; non superfluente, ut vel taedii, vel epitomes metuenda Auctoribus pericula effugiat. Et haec quidem generatim. Sigillatim vero trademus de scribendis Medico Praeceptionibus, Meditationibus, Historiis, deque his saepe utili aptaque delineatione Figurarum, de Criticis, et Apologeticis Scripturis, de bonis libris ex peregrina aut barbara in linguam lati-
nam conuertendis, de antiquis denique tum incertis dignoscendis, tum mendosis restituendis.

20) Postremo quod cessandi tempus capere, et quae, hoc capto, praestanti summoque Medico nouissima studia conueniant, in extrema Institutionum nostrarum parte disputabitur. Sed, ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me benigne, attenteque audiendi, quid in tota hac parte sim consultarus, malo in vestris cogitationibus relinquere, quam in oratione mea ponere.

21) Atque de eximio medico instituendo edidi quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt. Quae tametsi strictim quasi per transennam praetereuntes adspexitis; primum nihilo minus vos hortabor, diligentissimi Adolescentes, ut, si illam praeclaram et eximiam speciem perfecti Medici adamastis, tantum illi consequendae operae studiique nauetis, quantum me sedulitatis et



officiorum omni tempore in vos conferre, sentieris. A vobis autem, quos et singulos et vniuersos praecipuo semper honore consequar, Collegae sapientissimi, illud maiorem in modum peto, vt, si arduum, quod institui, et perdifficile opus non improbatis, mecum suscipere ne grauemini. Sin vos, alios longa vita et in studiis consumpta, partim vsus rerum maximarum docet, me ab impari onere absterre, vestris monitis consiliisque parebo, contentus, rudimentum operis primis tantum lineis descriptum exhibuisse, quod alii olim me longe meliores, non (quod ego polliceri possem) paulo distinctius adumbrare, sed implere, informare, et numeris omnibus absoluere fortasse conentur. Quod supereft, a Te etiam atque etiam quaeso, IOANNES CORRERI, Generis splendore, et Virtutum omnium, quae in Virum Principem cadunt, praeftantia ornatissime, huiusque adeo praeclarissimae Vrbis Praefecte, ac Propraetor meritissime, vt pro Tua ista patria et domestica humanitate orationi des veniam meae, quod cum Tua tempora, tum publica, quibus ea tribuis commoda, paulo diutius sit morata. Deum vero optimum maximum precor, vt si Augustissimo VENETO-RVM SENATVI, Amplissimisque Rei Litterariae TRIVMVIRIS, a quibus hoc mihi est Munus honestissimum grauissimumque concreditum, si iis, inquam, me videt gratias quidem agere tantas non posse, quantas debeo, sed tamen quantas

quantas maximas possum capere, et nunc habere, et esse habiturum, dum viuam; tum faxit, ut mihi dignae Munere, dignae TRIVM-VIRIS, dignae Senatu hæc, quas hodie coepi, Perfecti Medici Institutiones proueniant.

F I N I S.



Leibniz'sche Gesellschaft zu Berlin
in einer Reihe von 1000 Exemplaren
druckt und verlegt die Akademie
seiner Schriften mit dem Titel: "Acta
Leopoldina Naturae et Artis" 1744.

21114

Ula 1734

S

¶

ULB Halle
004 814 363


3



N.C







IO. BAPT. MORGAGNI
PHILOSOPHI, ET MEDICI FOROLIVIENSIS, IN
PATAVINO GYMNASIO THEOR. ORDIN.
MEDICINAE PROFESSORIS
NOVA
**INSTITUTIONVM
MEDICARVM
IDEA**
MEDICVM PERFECTISSIMVM ADVMBRANS



LIPSIAE
LITTERIS IO. FRIDER. LANGENHEMII.
A. C. CLXXXV.